



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

Conradvs Gvelfo Ex Dvce Boiariæ Monachvs Et Anachoreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

CONRADVS GVELFO

EX DVCE BOIARIÆ MONACHVS ET

ANACHORETA.

CLV. C. XXV.
 Conradus Pfifferg. an.
 1126.
 Vit. Arenbek. p. 142
 85 145.



Conradus ex nobilissima & antiquissima Guelphonum stirpe profectus patrem habuit Henricum Guelphonem qui Guelphonis primi Ducis Boiariæ cognomento quarti filius fuit; fratres Henricum & Guelphonem; sorores Iuditham VVolfildam, Mathildam & Sophiam.

*Sic enim ex temporis
 ratione colligo.
 Fridericus anno CLV.
 C. XI, inauguratus
 est.*

Conradus primum literarum tirocinium domi posuit, & cum jam ex ephebis excessisset, Coloniam Agrippinam ad maiorem ingenij cultum capiendum profectus in Friderici pontificis viri splendore generis (tetrarcha enim Forojulienfis erat) & eruditio- nis laude morumque elegantia clarissimi, disciplinam concessit. Cumque ob doctrinæ profectum & inclitam maiorum familiam maximos sperare honores posset, coelestia & æterna animo verè regio complexus, omnia fugientium bonorum & honorum nomina, fumosque & umbras contempsit, seseque ad Claram vallem ubi id loci Diuus quoque Bernardus sacrae militiæ rudimentum apud Cistertium incoeperat, contulit. Hic Conradus hausta religione cum ex diutina meditatione miris visendi Christi incunabula, & theatrum immortalium operum incensus desiderijs arderet, Hierosolyma supplicabundus petijt, & omnia à Christo diuinitatis & humanitatis impressa quæ reliquit in terris vestigia exosculatus, inde se in solitudinem contulit, ubi prouectoris nactus ætatis ascetam, coepit illi velut administer & discipulus infimis officiis inferuire, necessaria subministrare, vicissimque Christianæ perfectionis præcepta ab illo haurire. sed valetudine tentatus, institit de reditu ad patrium solum cogitare, quod tamen fatis præceptus, attingere non potuit. Barium Apuliæ municipium naui delatus apud S. Nicolaum religiosissimè expirauit. Sunt qui Patara defunctum velint, quod D. Nicolaus Patarae colatur, vt non Barij sed Patarae rescribendum putent. Atqui de Bario Apuliæ opido constat, & fortasse ibidem aræ eidem Dño posita. Nam qua in prouincijs Diuus sua templa non habet? In Boica complures numerat ædes & coenobia: & hic Monachij ex vetustissimo sacello in recentem & augustiorem ædem non ita pridem idem Nicolaus immigrauit. Vripergensis facit rem ambiguam, & mihi de Patara cogitasse omnino

nino videtur. Subscribam etiam firmandæ nostræ rei, quæ ipse de
 Conrado in suis chronicis ponit: *Chunradus in Clericum ordinatus cum* pag. 276. Basil. edn.
sub puerilibus annis domi literarum studiis informaretur, tempore maturo Colo- 2569.
nienſi archiepiſcopo altiori ſtudio & diſciplina clauſtrali educandus committitur.
Ubi in utroque tantum profecit: ſed & alijs virtutibus vitia declinans tantum
exornauit, ut ab omni & clero & populo amaretur: ab omnibus ſummo honore
dignus iudicaretur. Ipſe vero honores, diuitias, laudem humanam fugiens,
quibusdam ſe monachis ſociauit, cum quibus omnibus ſuis ignorantibus Clareual-
lenſe monaſterium adiit, ibique ſe monachum fecit. Deinde procedente tempore
Hieroſolymam petijt: ubi cuiſdam ſeruo Dei in eremo manente adhaſit, eiſque cum
omni humilitate neceſſaria adminiſtrauit. Tandem ſentiens ſe quadam inſir-
mitate tactum de reuerſione cogitauit, & ingreſſus nauem Bar ciuitatem S. Ni-
colai peruenit.

Hæc de Conrado Guelfone didici quæ ad pietatis nomen fac
 multa & magna videri poſſunt, cum omnia humana abjecerit, ut
 cælum expeditius intraret.

